VIRO ILLUSTRI
D. CONSTANTINO HUGENIO
A ZULICHEM

Andreas Arnoldus
S. P. D.

Spes est, magne Hugeni, Te salvum ac sospitem durissimam sepo-
suisse hiemem. ita precabar, cum Novembr. mense onustus thesauris
suis pedem huc retulissem; mihi sors hactenus fuit parum aequa, cum
feliciter peractis Velserorum rebus quartana me invaserit, licet vim
morbi derepente Dei gratia fregerim; brumale tempus fuit molestissimum
et perpetuae infirmitates haud leve fastidium objecerunt. Millies interea
cogitabam de Tua humanitate, versabanturque ante oculos praeclara illa volumi-
na, mentique fideliter inhaeret promissum liberale, superata videlicet hie-
me, ante iter quod in Angliam pararem, fore me tam fortunatum,
cui bibliothecam Tuam intueri et admirari liceret. Delector, quoties ista
repraesentat animus, demisseque oro, ne tanto fructu carere me patiaris.
circa Aprilis finem, vel Maji initium, via committunt me pater et amici;
si velis, potes per famulum unam ad me perscribendam curare lineolam
quando id Tuo facies commodo, nefas enim arbitror cursitare, donec volun-
tas Tua expugnetur. Bene de nobis merendo provocasti Virum
Illustrem, Antonium Magliabechium, Magni Hetruriae Ducis
Consiliarium et Bibliothecarium; accepimus ab eo XV. folia epistolarum
Velseri ad Robertum Titium, et Titii ad eundem, plenarum eruditionis.
Jam de aliis Marci est sollicitus ad Cardinalem Borromaeum, ad P. Ben-
cium, undique per Italiam conquirendis. Ipsemet ne otium agerem,
a Magce Revdo: D. Spanhemio impetravi ex bibliotheca publica quasdam
Velseri ad Clusium, ad Bonav. Vulcanium binas. Audaciae culpam su-
bit apud Te, fateor; ne prolixitate peccem, metus est. Vale, stator bonarum
litterarum, et longum vive. Dab. Lugd. Bat. ad d. V. April. CIƆIƆCLXXXI.

Hug. 37.

adresse: Op 't Rapenborgh in de halve Maen op Steenschuyr.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7170

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7170

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7170

Arnoldi

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7170